

Cod. Vat. Reg. 566 fol. 51.

Kap. IV. Quia vero Hlotharium cum suis fautoribus excommunicatum esse superius intimavimus, ne ob id reverentia vestra ab illo monendo cessandum existimet: ortamur quantum ad ea, quae ad salutem attinent^a mentis^a, cum eo loqui ne dubitetis. Vigeat itaque in vos pastoralis circa illum sollicitudo, et nunc vitę praesentis brevitatem atque miseriam exponendo, nunc ei aeternę felicitatis gaudia prædicando, nunc tantum et tale flagitium, quo tenetur asstrictus, inculcando^b, nunc dei timorem pariter et amorem ante oculos eius praeponendo ad ipsius praecepta eum convertere et ad eius mandata studetote, et quicquid in hoc faciendo proficeritis, nobis intimare sanctitas vestra ne differat. Sin autem nil salutis ipsius optinere apud eum valuerit, id ipsum quoque pontificio nostro referre pariter et, quibus inpedientibus fructum labor noster non capiat, indicare durum non iudicet.

Kap. V. Præterea fraternitas vestra noverit deo auctore pro hoc et pro communibus ecclesiasticis et innumeris necessitatibus plebis dei quinta decima Kal. Iun. synhodium nos Romae caelebraturos. Ad quam sanctitas vestra, si possibile illi fuerit, venire ne utcumque detrectet; sin autem, duos fratrum et coepiscoporum nostrorum, suffraganeorum scilicet vestrorum, praesignato tempore pro sua vice tenenda omni remota occasione transmittat.

Kap. VI. Porro de epistola, quam Aluicum quendam clericum detulisse perhibetis et, utrum a nobis missa fuerit, vobis per nos patefieri flagitastis: noveritis iam sanctitati vestrae pridem scripsisse, sed fortasse ad vos delata non est. Fraternitati vestrae idcirco nunc exemplar illius duximus per harum latorem mittendum.

Kap. VII. Ad extremum autem vestrae notum facimus sanctitati fratres et coepiscopos nostros, qui in Gallicanis provinciis sunt, non minus dira vel gravia de suis provinciis^c quam vestra fraternitas detulisse^d ideoque petisse ab apostolatu nostro synhodium aut per nos aut per missos nostros apud se pro repellendis talibus fieri. Sed quia hostium sanctae dei ecclesiae iniquitas non permittit et

a) Korrig. aus 'attinententis'. b) Konjektur von Holder-Egger. Das Wort ist in der Hs. nicht sicher lesbar (vielleicht etwa 'unacleando' verschrieben). Müller schrieb 'enucleando'. c) 'prouintis', zweites i übergeschrieben. d) Statt d wollte der Schreiber zuerst einen anderen Buchstaben schreiben, wie ein Schnörkel oben am d erkennen lässt.